



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

1. De Euangelio Dominicæ: De Christi passione prædicta, & cæco illuminato. Luc. 18. 249
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

Dominica Quinquagesimæ.

De Christi passione prædicta, & cæco
illuminato. Luc. 18.

Heb.
dom.
Quin-
quagesi-
mæ.

I. **C**Hristus ascēdens Ierosblymam, I. Medic.
12. discipulis prædixit passio-
nem, & resurrectionem suam, quorum
illi nihil intellexerunt. Expende hîc
paternam Christi erga suos providen-
tiam, & charitatem, tam sollicitè de
instanti passione discipulos, quorum
fragilitatem, & in fide vacillationem
prævidebat, præmonentis, & spe re-
surrectionis ad imitationem animan-
tis, simulque nos omnes ad piè reco-
lenda, maximè hoc sacro instanti tem-
pore, passionis suæ mysteria, & sua se-
quenda vestigia invitantis. At quàm
pauci etiamnum capiunt verbum hoc?
quam multi cum furente mundo insa-
niunt, inimici crucis Christi, quorum finis
interitus, quorum Deus venter est, & gl.
ria in confusione eorum, qui terrena sapite
Phil. 3.
Quanta felicitas eorum, qui sensum
Christi habentes; cum D. Bernardo o-
mnia passionis eius mysteria iugiter
L. s. men-

mente reholunt, & tanquam fasciculum myrrhæ inter vbera sua recondunt, quideque eius insistere vestigijs gestiunt. Quisquis ex illis es, grato animo tantam agnosce gratiam, medullitusque tot mundi amatorum pereuntium deplora insaniam.

II. Cæcum mendicum, licet à turba increpatum, clamantem, *Iesu fili David, miserere mei*, ad se adduci iussit, & sanauit: En typum generis humani, & cuiusvis peccatoris cæci, gratia Dei destituti, qui vt à Christo illuminari, & sanari mereatur, necesse est. 1. Vt agnoscat, quod sit *miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*. 2. Vt velit illuminari & sanari, seu serio conuerti. 3. Vt hoc ipsum instanter, & constanter petat, & desideret, quantumuis mundus, caro, dæmon obstrepat. 4. Vt mundum conculcans cum vanis concupiscentijs, non honores, opes, voluptates desideret, sed veram cognitionem Dei, sui, rerumque diuinarum ad æternam salutem conducentium. O quanta Dei bonitas, qui hæc omnia pia desideria peccatori tam ingrato inspirat, quem tam misericorditer sanat! O quanta illi gratiarum actio esset merito referenda, quanta compunctio

Spec. 3.

cordis. de nostra ingratitude exci-
randa?

III. Cæcus illuminatus, secutus est
Christum, magnificans Deum, aliosq;
exemplo suo, ad idem inducens. quan-
ta exultatione spiritus, diuina mise-
rante gratia, peccator illuminatus, & è
luto fœcis extractus, diuinæ bonitati
potiore iure gratias medullitus agere,
Christi perfectissimam vitam quam
proximè conari exprimere, aliosque
omnes, quos possit, verbo, exemplo,
oratione ad idem allicere deberet?
Hæc affectu, & opere praesta, & sic te à
Christo illuminatum proba.

Nota circa sequentes de passione Do-
mini meditationes.

*Cum ad vberiores, solidioresque in per-
pendendis singulis mysterijs Dominica pas-
sionis discursus formandos, congruoque ex-
ijs affectus efficacius eliciendos plurimum
conducat, communiores in ea occurrentes
circumstantias profundius penetrare, mo-
dumque affectus vnitiores perfectius fructuo-
suq; eliciendi & continuandi per spectum
habere, consultum erit, de singulis singulas
meditationes, quasi proœmiales instituere,
quales sunt sequentes satis prolixa & fertiles.*